

FAMA POSTHUMA,  
*sive*  
ORATIO PAREN-

TALIS,

in obitum

VIRI Maximè Reverendi, Magnifici, Am-  
plissimi, atq; Excellentissimi,

DN. HIERONYMI

KROMAYERI,

SS. Th. Doctoris, ac Professoris Primarii  
Celeberrimi, Facultatis Theol. tunc Decani, Ecclesiae  
ingenuæ Misnensis, ut & Nationis Misnicæ apud nos Senioris,  
Consistorii Electoralis, ac Ducalis Sax. Assessoris gravissimi,  
Collegii Minoris Princc. Collegiati, Alumnorum Electoralium  
Ephori, & Academiæ Decemviri, de totâ Christi Ecclesiâ,  
& singulis officiis, qvæ sustinuit, me-  
ritissimi,

Habita in Acad. Lips. in Auditorio Maj. Princc. Colleg. Anno 1671. die 3.  
Jun. quo ante anni decursum placidissimè obdormiverat

à  
GEORGIO MOEBIO,

SS. Theol. D. & Prof. Publ. Facult. Theol. Subsen. Ingenuæ  
Cathedral. Misn. Canon. & Acad. Decemviro.

LIPSIÆ,

Typis Viduæ JOHANNIS WITTIGAU.

Vit. End. Sing. - Vol. Tri. - 1671

erud.  
02, 64





**M**agnifice Academie Rector, ut & utriusq;  
Reipublicæ Patres Conscripti, Viri summè Reverendi, Magnifici,  
Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Excellen-  
tissimi, atq; Clarissimi, Domini sautores, respectivè Collegæ, atq;  
amici multis nominibus observandi, & colendi, Tuq; studiosæ ju-  
ventutis concio lectissima, patriæ spes optima.

Refert Cornel. Tacitus, Vir ille prætorius, & consularis lib. de Pop. Ger-  
man. nostros Germanos olim in funeribus curandis lacrymas, & lamenta citò,  
sed dolorem & tristitiam tardè posuisse. Digna verò Germanis virilitas, &  
gravitas! Digna fides, & integritas, qvam oblivio nullius unquam tempo-  
ris obscurabit! Quid enim leviùs, qvàm agnatorū, Collegarum, & præclaro-  
rum virorum memoriam statim ex animo deponere, & omnem ob obitum  
eorum dolorem subitò cum demortuis sepelire? Quid fallaciùs, qvàm si  
vestes pullæ, lugubres animos, omni curâ vacuos, & gaudio qvasi gestie-  
tes obvelent? Qvod genus hominum, tanquam portas inferorum Achilles  
apud Homerum se odiisse profitetur.

At verò defunctorum honorificè meminisse, illisq;ve in sepulchris  
jam hospitantibus debito laudis præconio vitam qvasi restituere, id verò  
præclaræ pietatis opus est, & humanitatis officium minimè contemnen-  
dum. Ægyptii hâc in parte in primis commendandi sunt. Hi enim qvò  
defunctorum memoria apud ipsos conservaretur, non tantum laudatio-  
nes funebres instituerunt, sed etiam cadavera ad dies plures, XXX. un-  
gventis pretiosissimis, & fragrantissimis condierunt. Exinde factum est,  
qvod scribit Diodorus Siculus l. I. Biblioth. num. 91. p. 79. ut singula corporis  
membra tantam per multa secula habuerint integratatem, ut etiam palpe-  
brarum, & superciliorum pili, adeoq; tota corporis species invariata persti-  
terit, & formæ pristinæ effigies agnita fuerit. Non tantum ergo hoc modo  
memoriam defunctorum ad posteros transmittere allaborarunt, sed etiam  
ex aspectu eorum dolorem cotidiè qvasi renovarunt.

Non placet igitur nobis Solonis sententia, qvi Atheniensibus flebiles la-  
mentationes, & cætera dolorem testantia, velut inania, & nihil vitæ proficiē-  
tia spectacula sustulit. Eandem perversam opinionem exosculati sunt multi  
magni viri. Eâ de re Alexander ab Alexandr. l. III. dier. Gen. Cap. 7. p. 324.  
ita scribit: Quintus Maximus, filio Consulari, & Lucius Paulus duobus filiis  
paucis diebus amissis, & Marcus Cato, mortuo filio, prætore designato, non luxe-  
runt. Marcus quoque Bibulus Consul, qvum toto Consulatu domi delitusset,

## ORATIO PARENTALIS.

quo die de obitu duorum filiorum certior factus fuit, in senatum venit, & munus consulare obivit.

Qvanquam verò hæc ethinorum sententia meritò detestanda sit, fuere tamen, qvod haut abs re mireris, inter Christianos non pauci, qvi eandem calculo suo approbârunt, & suam fecerunt. Hinc Episcopi in Concilio Toletano III. omnibus Christianis interdixerunt, ne defunctorum flerent, uti videre est Part:2. decret. Caus. 13. qu. 2. c. 28. Imò nostrâ tempestate quidam docuerunt, non esse licitum lugere mortuos, ut Salmeron testatur disp. IV. ad cap. 4. i. ad Thess. Confer etiam D. Gerb. Tom. IX. LL. §. 53. p. 158.

Qvæ sanè opinio ipsi naturæ bellum indicere, omnemqve humanitatem ejurasse videtur. Nam unde fieri potest, (sunt verba Augustini, augustinissimi Ecclesiæ Doctoris, l. XIX. de Civit. Dei cap. 8. p. 1158) ut eorum mors nullam nobis ingerat molestitudinem, quorum vita propter amicitiae soliditia nos delectabat, quam molestitudinem, qui prohibet, prohibeat si potest, amica colloquia, interdicat amicabilem societatem, intercidat affectum omnium humanarum necessitudinum, vel vincula mentis immitti stupore dirumpat!

Qvorsum hæc à Nobis proponantur, Auditores omnium ordinum honoratissimi, facile colligere poteritis. Nimirum hic ipse dies est, tertius scilicet Junii, qvi ante anni decutsum Facultati nostræ Theologicæ, imò totū Academiæ, sed qvid dico Academiæ! toti Ecclesiæ Christianæ fuit luctuosissimus. Vitam enim cum morte tunc commutavit vir supra laudem positus, summe Reverendus, Magnificus, Amplissimus, atq; Excellentissimus Dn. HIERONYMUS KROMAYERUS, SS.Th. D. & Prof. P. primarius celeberrimus, Facultatis nostræ tunc Decanus, Ecclesiæ ingenuæ Misnensis, ut & Nationis Misniciæ apud Nos Senior, Consistorii Electoralis, & Ducalis Saxonici Assessor gravissimus, Collegii Minoris Principum Collegiatus, Alumnorū Electoralium Ephorus, & Academiæ hujus Decemvir, de singulis officiis, qvæ sustinuit, meritissimus, Collega, fautor, atq; amicus qvondam noster conjunctissimus, nunc desideratissimus. Qvantum vulnus obitu hujus viri nobis, & toti Ecclesiæ inflictum sit, qvis est, qvi non intelligit? Talis enim erat Theologus, qvi non tantum rara, & exquisitâ rerum Theologicarum scientiâ erat instructus, sed etiam qvi in hanc Academiam, & in universam Christi Ecclesiam eruditissimis suis lucubrationibus magna contulit commodas;

Si ergò tanti hujus viri memoria statim animis nostris elaberetur, profectò ingratiissimi essemus homines. Fas & æquum igitur est, ut Majores nostros, Veteres Germanos imitemur, & dolorem, & tristitiam ob obitum hujus viri conceptam tardè ponamus. Qvanquam ergò integer annus

## ORATIO PARENTALIIS.

gnus abiit, postquam ille in vivis esse desiit, dolor tamen nullatenus ex cordibus nostris secessit. Qui enim fieri posset, ut jacturam tanti viri tam brevis pensaret dolor? "Agite ergo, meritissimi hujus Theologi memoriam hodie refricabimus, justa ipsi persolvamus, & monumentum erigamus, cui præclara ipsius facinora, vitamque laudabiliter actam inscribamus.

Vos autem, Auditores omnium ordinum honoratissimi, vos, inquam, amicè & decenter compello, velitis ad breve temporis spatiū nobis vacivas aures præbere, ac orationem nostram benivolè, & attentè excipere. Qui ergo KROMAYERUM omnes vivum amāstis, demortuum quoque pro affectu vestro vel hac horâ prosequimini.

Magnâ Religione erga defunctos, eorumque tumulos olim gentem ferè quamlibet ductam fuisse, quæ modo Diogenianâ illâ, & plus quam belluinâ opinione de contemptu sepulturæ non effascinata fuit, tradunt passim historici. Hinc non tantum pretiosis aromatibus cadavera ab interitu conservare studuerunt, sed, etiam sepulchra admirandæ structuræ erexerunt, statuasque immensi ponderis, & pretii superimposuerunt, & quidem eo fine, ut fama demortuorum illibata conservaretur, & ad searam propagaretur posteritatem. In sacris literis sicut nobis præ cœteris insigne illud monumentum, quod Simon Maccabæus parentibus, ac fratribus vitâ functis, in patriâ sua, urbe Modin exstruxit. Illud i. *Maccab. cap. XIII. v. 27, 28.* his notatu dignis verbis describitur: *Et edificavit Simon super sepulchrum Patris sui, & fratum suorum edificium, altum visu, lapide polito, retro, & ante, & statuit septem Pyramides, unam contra unam, patri, & matri, & quatuor fratribus. Et his circumposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriam eternam, & juxta arma naves sculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.*

In prophanis historiis plurima etiam hujus rei exempla occurunt. Augusti Cæsar's celebre monumentum, quod in hunc usque diem conspicitur, Georgius Fabricius, tanquam testis *autōmēs* in libell. de Rom. cap. XX. his verbis describit: *In Mausolæo Augusti Cæsar's, quod exemplo Regis Curiae exstructum est in valle Martiâ inter viam Flaminiam, & ripam Tiberis post eadem S. Rochi, moles rotunda, ex immensis aggeribus, marmore olim Lunensi incrustata cum circumjectis sylvis, & amplis ambulationibus. Ad latera positi erant bini obelisci, quorum unus in via projectus, fractusque jacet. Habuit plura ostia, & loculorum seriem intra aggerem, quorum adhuc apparent vestigia. Ante molem res gestæ Augusti, quod ipse testamento mandaverat,*

## ORATIO PARENTALIS

tabulis æneis incise erant, à tergo lucus fuit cum porticu. Interior murus reticulato opere variatus, & in mediâ areâ Augusti tumulus, ex niveo marmore, ferreis cancellis inclusus, in cuius summo simulacrum ipsius æneum. Inter tumulum, & murum interiorem consitæ populi. Ut autem Augusti sepulchrum in medio stetit; Ita loculi cognatorum, & amicorum, cum quibus communem illam esse sepulturam voluit, à lateribus in muro effossi erant. Hactenus Fabricius, qui ibidem quoque magnificentissimum sepulchrum imperatoris Hadriani, aliorumque multis verbis describit. Qvis autem non videt, tam exquisitam sepulchrorum structuram, & tot pretiosas columnas, omnes eo fine exstructas fuisse, ut exinde hominum memoria & ipsorum res gestæ etiam post mortem conservarentur! Eâ de causâ quoque violationem sepulchrorum sumnum crimen judicarunt. Sepulchra violare, cinesq[ue] eorum dissipare, sceleratissimum omnium putabant, inquit Turnebus Adversarior. l. XIV. Cap. 21. Poenas quoque magnas illis irrogarunt, qui defunditorum monumenta injuriis affecerunt.

Verum enim vero quantum præter modum ferè curiosi, & solicii fuerunt homines in exstruendis, & magnifice exornandis sepulchris, attamen fama & memoria defunctorum exinde vel nullo, ve exiguo temporis spatio fuit conservata, cum non pauca horum monumentorum statim vel terræ motu, vel impetu turbinum, & procellatum, vel aliis adversis casibus jamdudum conciderint, & in terram prostrata fuerint. Nos itaque, qui memoriam præclarissimi Kromayeri nostri immortalem reddere studemus, alio modo id tentabimus. Nimicum erigamus ipsi jam in hâc Academiâ etiam monumentum, non quidem ex lapidibus, & ære confectum, sed ex ipsis virtutibus, & rarâ doctrinâ Theologicâ constructum. Huic monumento præfigamus tres tabulas, in quarum primâ consignabimus B. KROMAYERI nostri vitæ ingressum, in secundâ, vitæ laudabilem progressum, in tertiatâ, vitæ beatum egressum. Monumentum itaque hoc tale erit, quod, uti Lyricus ait, l. 3. Carm. Od. ult.

— non imber edax, non aquilo impotens  
Possit diruere, aut innumerabilis  
annorum series, & fuga temporum.

Qvisquis ergò B. KROMAYERI monumentum visitare cupit, is inspiciat has tres tabulas, plurima ibidem videbit, quæ non sine admiratione leget. In primâ itaque tabula jam fistimus vobis laudati KROMAYERI nostri vitæ ingressum. Lucem is primò aspexit Cizæ, urbe Episcopali, Anno currentis hujus seculi decimo, mensis Januarii decimo octavo. Et quia profa-

## ORATIO PARENTALIS.

prosapia splendida claritatem, & existimationem non exiguum benè natis solet conciliare, hinc illa in KROMAYERO nostro reticenda non est. Sicut enim gemma ex auro multò lucidius, qvā ex alio minoris pretii metallo refulget : Ita qvoqve virtus in iis, multò evidenter coruscat, qvi ex clariore prosapia ortum suum ducunt. Natales igitur B. KROMAYERI deducuntur ex perantiqvā, & Nobilissimā in Silesiis familiā KROMAYERIANA, qvæ ibidem, in primis in urbe Vratislaviensi satis celebris est. Sed ut proprius ipsius vitæ ingressum contempleremus, natus īs fuit parentibus non obscuris, aut vilis notæ, sed præclaris, & maximè conspicuis. Patrem habuit virum plurimum Reverendum, Amplissimum, atqve Excellentissimum Dn. HIERONYMUM KROMAYERUM, SS.Th. Licent. Ecclesiæ primariæ Cicensis ad D. Michaelis Pastorem, postea Superintendente Plaviensem meritissimum. Ex patruis ipsius in primis etiam celebris fuit Dn. M. JOH. KROMAYERUS, Serenissimo Vinariæ Duci qvondam à Concionibus Aulicis primariis, postmodum universi Ducatus Superintendens generalis. Matrem verò nactus fuit fœminam sui sexus ornementum singulare, MARIAM MAGDALENAM, Dn.M. JACOBI LINDENERI, Consulis Numburgensis meritissimi filiam. Materna avia ipsi fuit MARGARETHA, qvæ parentem habuit D. DANIELEM GRESERUM, Concionatorem aulicum Dresdensem, & posteà ibidem Superintendente, in matrimonium autem data fuit D. NICOLAO SELNECCERO, famâ, & scriptis celeberrimo Theologo, & Superintendenti Lipsiensi meritissimo.

Ex tām splendidis, & honestis Majoribus ortus fuit noster B. KROMAYERUS. Qvæ res sanè ipsi non parvum addit decus. Nam honestis, & præclaris nasci parentibus, non īfima laus est. Sicut enim ex impiis scortatoribus, & adulteris editi, maculis suorum parentum deturpati incedunt: Ita liberi ex piis, & honestis conjugibus nati, coruscant radiis honestatis suorum parentum.

Sed nunc vos ad secundam tabulam deducamus, qvam monumento Kromayeri nostri præfixuri sumus. In illa aspiciatis laudati Kromayeri laudabilem in vita progressum. Hic verò plurima occurunt, qvæ admirabundi cognoscetis. Dum enim in vita progredi cœpit Beatus noster, variâ fortunâ usus fuit. Vix enim natus erat annos quatuor, ecce subito ipsi pater dilectissimus à mortis violentia abripitur. Quantum damnum teneollo huic puerulo per obitum optimi parentis inflictum fuerit, nōrunt illi, qvisciunt, qvid sint probi parentes, & qvid sint orphani. Sed clementissimus

## ORATIO PARENTALIS.

tissimus Deus prospexit illi paulò post de altero parente, dūm charissimæ ipsius mater per secunda vota transiit in Conjugium Viri Maximè Reverendi, Amplissimi, atqve Excellentissimi Dn. D. Erhardi Lauterbachii, Præfulatus Numburgo-Cizensis Superintendentis, & Consistorii Episcopalis Assessoris meritissimi. Hic ipsum singulari amore complexus fuit, & informationi fidelissimorum præceptorum commisit. Non tantam enim in Episcopali scholâ Cizensi ab industriis, & doctis præceptoribus ad liberalia studia fuit deductus, sed & domi additi fuere præceptores privati. Qvia verò erat puer bonæ indolis, hinc in moribus, pietate, & linguis cum gaudio parentum, & præceptorum optimè proficiebat. Qvæ enim alii magno cùm labore addiscebant, hæc ille facile, & sine multo negotio arripiiebat, & memoriae mandabat. Nihil ergò ex ipsius ingenio, nisi qvod doctum, nihil nisi qvod morigerum, nihil nisi moderatum, & blandum elucebat.

Postqvæ igitur in politiori literatura bona jecerat fundamenta, tunc de Consilio parentum, & præceptorum Anno seculi hujus XXIX, ætatis verò XIIII. scholas altiores adiit. Venit itaqve in hanc nostram Philuream, & statim in numerum Alumnorum Electoralium cooptatus fuit. Hic se brevi temporis spatio non commendabilem, sed admirabilem redidit. Referunt Historici, *Niciam* pictorem tantam diligentiam ad pingendum adhibuisse, ut sæpius arti intentus cibum sumere oblitus fuerit. Idem & KROMAYERUS noster, qui difficilius à diligentia sua poterat avocari, qvam sol à suo cursu. Hinc Professoribus Philosophiæ induculo nexu adhæsit, qvinis minimum quotidie operam suam addixit, ipsorumqve lectiones freqventavit. Anno seqvente post impetratum primum in Philosophia gradum contulit se in Academiam Wittebergensem. Elapso hoc anno, secesit in Academiam Jenensem, qvò etiam illuc portionem quandam eruditioni suæ adjiceret.

Qvandoquidem verò studia sua in hâc Nostrâ Academiâ ad finem optatum perducere decreverat, hinc redux factus omnem operam illis navavit, & ea præsttit, qvæ sibi ad obtinendos summos in Philosophiâ honores necessaria fore intellexerat. Eâ de causâ pulpita ascendens Academicâ crebris vicibus, modo ut Præses, modo ut Respondens non sine laude disputavit. Nec infreqvens opponentium occupavit subsellia. Collegiis quoqve privatis plurimis summo studio interfuit. Minime quoqve illa voluptuosa, qvibus pleraqve se mancipat juventus, secatabatur. Non muliebres æstimabat blanditias, non vinum manibus venis recipiebat, non

## ORATIO PARENTALIS.

non crapulæ, & comedationibus indulgebat, sed solo amore studiorum flagrabat, & sic cana consilia in Adolescentiæ annis meditabatur.

Postquam igitur animum insigni rerum philosophicarum scientiâ instruxerat, tunc Anno 1632. summos in Philosophiâ honores, applau dentibus Musis, & cunctis bonis, cum laude reportavit. Ab eo itaque tempore, qui discipulum hactenus, & Auditorem egerat, præceptoris munia obire cœpit. Collegia itaque privata non pauca aperuit tam Lectoria, quam disputatoria, & quidem in Logicis, Physicis, Astronomicis, aliisque disciplinis. Discentes quoque informatione ipsius valde delectabantur. Qvisquis enim docentem audivit, ingenuè fatebitur, dona illa, quæ à bono Doctore requiruntur, abundè in hoc Nostro fuisse. Utebatur præterea singulari, & accurata methodo, ut taceam perspicuam vocem, & suavitatem pronunciandi, ut & genus dicendi elegantissimum. Qvis enim non lacteam illam oris modestissimi eloquentiam exoscularetur? Qvis non suavitatem sermonis dulcissimi, exquisitissimâ humanitate permixtam admiraretur? Non rauca vox, sed suavis; Non sermo hiulus, aut syllabas in gutture ex parte intercludens, sed dilucide, & plenè prolatus. Ut paucis multa dicamus, ipsa Svada, ipsa sermonis Venus, & eloquentia ipsa cum Musis castissimis in KROMAYERO nostro ledes sibi fixerant firmas.

His ergo dotibus exornatns, tum aliorum benevolentiam, tum Philosophicæ Facultatis favorem sibi acquisivit. Itaque ejus Collega scriptus est Anno 1638. habitis prius binis disputationibus pro Loco in eadem obtinendo. Possemus jam nonnullas raras materias proponere, de quibus non sine laude disputavit; sed quia non ad ignaros harum rerum verba facimus, hinc labore isto supersedemus. Potius ergo nos ad alia conferamus, monstrabimusque, quæ præmia bene laborantibus virtus tribuere solet! Postquam ergo hæc solidâ suâ eruditione & æqualem, & præceptorum oculos, & animos in se converterat, dignus fuit habitus, cui publici Professoris ardua crederetur provincia. Hinc Anno 1643. Excellentissimo Conrado Bavarо in historiarum, quinto post anno Amplissimo L. Andreæ Corvino in Oratoria Professione successit, vocante eum, & clementissime confirmante ad hæc sublimia officia Serenissimo Saxonie Electore, Domino nostro clementissimo. Quantâ sedulitate, & dexteritate munia hæc obiverit, dici vix potest. Testabuntur hoc plurimi gravissimi, & Clarissimi viri, qui prælectionibus ejus publicis diligenter interfuerent. Verè dixisse novum sidus in hæc nostrâ Philureâ exortum fuisse, quod plurimorum animos ita (divinâ accedente gratiâ) illustrabat, ut egregios in rebus

b

Philo-

## ORATIO PARENTALIS

Philosophicis facerent progressus. Nam uti antea diximus, singulari dexteritate in informandâ juventute præditus erat, & in usitatâ suâ humanitate discentes ita sibi devinctos reddebat, ut Kromayerum unum in oculis, in mente, & in precio haberent.

Sed ad alia laborum, & honorum præmia, quæ ipsi fuere collata, revertimur. Cum Anno 1650. Juris Consultus Clarissimus D. TOBIAS HEIDENRICHIIUS obiislet, eâqve occasione in Minore Principum Collegio vacua facta esset pro Misnicæ Nationis membro sedes, nemo qui hanc impleret, dignior visus est, KROMAYERO. Præfuit autem huic muneri per annos viginti, usque ad extremum vitæ diem. Philosophicæ verò Facultatis membrum fuit per annos novendecim. Hoc autem temporis intervallo Decani officio quater, creandis Magistris Pro cancellarii bis, Rectoris Academicæ semel, in Minore verò Collegio Præpositi munere bis, & præpositurâ magnâ, ut vocant, semel non sine laude functus fuit Noster.

Sed levia, & exigua fuere, Auditores omnium ordinum honoratissimi, quæ hactenus in tabulâ secundâ, quam monumento B. nostri KROMAYERI præfiximus, legistis. Majora nunc sequentur. Majori ergo attentione, & auscultatione sunt digna. Nimurum Theologum jam sistamus, quem ex ætatis nostræ præcipuis non infimum, sed magnum summus rerum diribitor esse voluit. Quali, & quantâ enim scientiâ Theologicâ fuerit instructus, norunt tot excellentissimi Viri, norunt Collegæ, qui cum ipso conversati sunt, norunt discipuli, imò novit universa CHRISTI Ecclesia, de quâ optimè fuit meritus. Sunt aliis aliæ dotes, prout earum datori visum est, qui pro suo arbitratu partitur singulis juxta μέτρον τῆς δωρεᾶς, sicut Apostolus loquitur Ephes. IV. v. 7. Sic in Augustino fuit insignis animi promptitudo, & judicii acrimonia in confutandis hæreticis, quod egregie præstítit in profligandâ hæresi Pelagianorum, Manichæorum, Donatistarum, Arianorum, Jovinianorum, aliorumque. In Basilio præter subtilitatem exosculamur piam, ac mitem faveloquentiam; in hujus solidi Chrysostomo sponte profluentem orationis copiam; in Athanasio sedulam, ac seriam docendi perspicuitatem; in Cypriano, spiritum Martyre dignum, in Hilario grandi materia parem grandiloquentiam, in Hieronymo singularem eruditionem, & lingvarum, in primis Hebraicæ notitiam, in Gregorio puram nulloque fuco pictam sanctimoniam;

## ORATIO PARENTALIS.

niam; Sed in KROMAYERO nostro, si non omnia, certè singulorum plurima deprehendimus. Erat enim hīc πολυμαθής; imò erat instar bibliothecæ vivæ, in primis propter felicissimam memoriam, qvâ, qvicquid apud hunc, vel illum authorem legerat, vel qvod in hoc vel illo seculo gestum, & peractum fuerat, id omne in numerato habebat, & ita accurate cùm omnibus circumstantiis referebat, qvasi vel hoc die legisset, vel audivisset. *Homere*, vel *Mare* si jam viveretis, haberetis sanè, qvod in hoc Theologo commendare possitis! Haberetis virtutum largam segetem, de qvibus non Odysseas, aut libros Æneidos, sed Kromayeridos scriberetis, & ad seram posteritatem transmitteretis!

Sed breviter nunc exponamus, qvomodo successivè in præclarissimum evaserit Theologum. Nimirum ab ineunte ætate stimulum ad studia Theologica dederant tot suorum exempla, scilicet abavi GRESERI, proavi SELNECCERI, proprii Patris, patrui, & vitrici LAUTERBACHII. Horum exempla semper ob oculos sibi proponebat, vestigiisqve ipsorum insistere tentabat. Nec conatus ipsius, ut eventus docuit, fuit frustraneus. Accessit invitamentum haut mediocre, stipendum Electorale, cujus prorogatio non semel ipso fuit facta. Noverat qvippe optimè Beatus Noster, stipendia eo fine conferri, ut eo majori diligentia studiis incumbant alumni, & aliis tanquam typos, & exempla diligentia se præbeant. Præceptoribus itaque suis indefinenter adhærebat, & limina Auditorii Theologici indefesso studio calcabat. In primis autem continuè ad pedes Theologi Magni B. D. HENRICI HÖPFNERI sedit. Ab hujus maximè ore, ultra septennium pendere assidue, hunc suspicere, hujus profundâ eruditione Theologicâ uti. HÖPFNERUS vicissim tam gnavum, & probum discipulum diligere, & nihil horum intermittere, qvæ ad studia ejus promovenda spectabant. Sed neque reliquos neglexit, aut postposuit Theol. Doctores, & Professores. Nam etiam horum informatione delectabatur, & studiorum suorum incrementa ab illis sensit. Hinc sub Præsidio Dn. D. CHRISTIANI LANGII, & D. MAURITII BURCHARDI, ut & D. JOH. HÖPFNERI publicas habuit disputationes. Nolumus jam recensere Collegia Theologica privata tam Lectoria, qvam disputatoria, qvæ partim ut se exerceret, partim ut juventuti prodesset, aperuit.

## ORATIO PARENTALIS.

In illis omnibus talem se gessit, ut statim omnes non abs te colligerent, ipsum olim in magnum evasurum Doctorem. Neque omina hæc fuere vana. Nam Anno 1640. Th. Baccalaureus, Anno 1645. Th. Licentiatus, Anno verò 1651. Th. Doctor summâ cum laude publicè fuit renunciatus.

Fama ergò, & eruditio KROMAYERI dudum etiam pervolaverat in Aulam Electoralem. Dignus igitur ibidem fuit habitus, cui Professio Theologica demandaretur. È de causâ Anno 1646. ad Professionem extraordinariam, Anno 1657. ad Professionem ordinariam fuit vocatus. Anno seqventi cessit ipsi Canonicatus Cicensis, quem postea cum è vivis excessisset incomparabilis HÜLSEMAN-NUS, Anno 1661. cum Misnensi commutavit. Alumnorum Electoralium Ephorus eodem Anno designatus fuit, quo Canonicus Cicensis electus, in Collegium verò Decemvirale cooptatus fuit Anno 1662. Accessit demum, ut membrum Consistorii Electoralis, & Ducalis Anno 1666. post obitum D. DANIELIS HENRICI eligeretur, quo tempore ipsi simul Professio Primaria in Facultate Theologica fuit clementer demandata. Hisce perpetuis functionibus additæ non raro aliæ ex earum genere, quæ annui temporis, aut minore spatio terminantur. In creandis enim Licentiatis, & Doctoribus semel Compromotorem, ProCancellarium quater, Decanatum verò quinqvies administravit.

His tot muneribus quantâ cum fide, quantâ cum dexteritate, & inexhaustâ industriâ præfuerit, nemo est, qui ignorat. Neque quicquam erit, qui KROMAYERUM ullius indiligentiae accusare poterit, nisi prorsus sit malus, & calumniis deditissimus homo. Etiam si autem propter tot munia plurimæ expeditiones ipsi incumberent, attamen non pauca simul utilissima scripta elaboravit, & luci dedit publicæ. Ex his per Typographum prodit Commentarius in Epistolam ad Galatas, & Apocalypsin, Historia Ecclesiastica, Theologia Positivo-Polemica, quæ jam secundâ vice sub prelo sudat, Loci Anti-Syncretistici, Polymathia Theologica, Disputationes multæ, & variæ de selectissimis tamen in Theologiâ, quam Philosophia argumentis, duæ præterea Disputationum Decades de Apostasia Romanæ Ecclesiæ in mysterio peractæ, Disputationes item decem Scrutinii Religiosis. Multa adhuc servantur in scriniis, in primis Collegium hæreticologique.

## ORATIO PARENTALIS.

siologicum, & Philologicum, ut & alia opuscula, qvæ longum sit, omnia recensere. Qvis ergo non miraretur KROMAYERI nostri labores! Qvis non indefessam ipsius diligentiam suspicret! Nulla hora ipsum spectavit otiosum.

Sed de Conjugio ipsius nonnulla quoq; dicenda sunt. Nimirum cum tot gravia munia humeris ipsius incumberent, vita fociam qvæsivit, qvæ curas domesticas in se susciperet, qvò eò melius officiis demandatis defungi posset. Singulari ergo divini numinis directione in matrimonium sibi elegit Anno 1646. mense Novembrī virginem pudicissimam, variisq; virtutibus conspicuam, ANNAM JUSTINAM, Viri Maximè Reverendi, Nobilissimi, Magnifici, atque Consultissimi Dn. GEORGII TOBLÆ SCHWENDENDORFFERI, ICTI Celeberrimi, Facultatis Juridicæ Ordinarii, Curiæ provincialis item Assessoris, Ecclesiæ Cathedralis Martisburgensis, ut & Collegiatæ S. Sixti Canonici, Majoris Principum Collegii Collegati, Academiæ Decemviri, & Nationis apud Nos Bavariae, ut & totius Academiæ Senioris, Collegæ nostri honoratissimi, filiam dilectissimam. Cùm hâc usq; ad finem vitæ svavissimam duxit vitam. Neq; sterile prorsus fuit hoc Conjugium. Nam Anno 1653. die 5. Jan. parentes optimi natum è castissimis complexibus filiolum exsculati sunt. Verùm gaudia hæc mox tristitia, & luctus intercepit. Infans enim vix triduanus vitam cum morte comutavit, neq; hanc orbitatem nova ulterius subsecuta fuit fœcunditas. B. ergo Noster etiam hanc crucem patienter ferens, omnes suas curas commisit Deo, & in obeundis muniis suis impeterrito perrexit animo.

In hisce autem concatenatis laboribus semper superna respexit, & vita meliori, qvam in cœlis expectamus, inhiavit. Meminimus, illum sæpè ad nos dicere: Virium mearum decrementum sentio, senectus quoq; accelerat, finis vita non procul aberit. Nos contra: Absit hoc, ut Collega tam charus, nobisq; conjunctissimus, qui Facultatis nostræ primaria columna est, tam subito à nobis avelatur! Servet illum DEUS in multos adhuc annos incolumen, & quidem in Academiæ & Ecclesiæ commodum! Sed voti nostri non fuiimus participes redditi. DEO enim aliter visum fuit, qui Theologum hunc præclarissimum, & rarâ scientiâ Theologicâ præditum in cœlestem evocavit scholam. Sat multa, Auditores honoratissimi,

## ORATIO PARENTALIS.

in duabus istis tabulis, qvas monumento KROMAYERI nostri, tanquam virtutum indices præfiximus, & legistis, & audivistis. Restat tertia tabula, qvam jam affigere mens animi est. Huic inseramus beatū istius viri felicem vitę egressum. Nemo qvidem hominum, qvotqvot in hasce auras nascuntur, stabilem mansionem hīc habet, sed justo, & definito tempore qvilibet egreditur; modus autem, qvo egreditur, est diversissimus. Non pauci enim decedunt subitò, & eā horā, qvā peccatis maximis se commaculant, & vel crapulæ, scortationibus, aut aliis fceleribus indulgent. Alii, & qvidem plurimi falsā Religionē imbuti ex hāc vitā abeunt. Sed Noster B. KROMAYERUS devotis precibus animam suam DEO commendavit, & in verā religione, qvam & vivā voce, & scriptis masculè propugnaverat, lētus ex hoc mundo ad cœlestem emigravit patriam. Nec enim gravi, aut diuturno morbo fuit concussus, sed post paucos dies, postqvam æger in lectulo decubuerat, placidissimè obdormivit. Nimirum decimo qvinto die Mensis Maji Annī præterlapsi, adeunda ipsi Wurcena fuit, ubi Conventus Canonicorum Capituli Miñensis agitabatur, cui tanquam membrum nobile interesse debebat. Fecit autem intemperies aëris frigidiusculi, ut sentiret sibi occiput ingrauiscere. Qvanquam hoc malum non adeo nocens visum fuit, alia tamen simul symptomata accelerarunt, qvæ beato nostro lethifera fuere. Nam vigesimus dies malum detexit, cùm magnus tumor nervorum sub cervice exoriretur. Febris simul accessit, qvæ cubantem omnibus viribus exuit, frustra consumtis medicamentis pretiosissimis. Ο μακαρίτης ergo vitæ finem adesse haut obscurè colligens, animæ potius, qvam corporis curam suscipiendam esse putavit. Hinc expeditis illis, qvæ se mortuo fieri vellet, Confessionarium suum desideravit, à qvo præsente, postqvam seriam Confessionem peccatorum ediderat, absolutionem eorundem accepit & sacro viatico munitus beatam ἀνάλυσιν intrepidus expectavit: cujus & paulò post compos fuit redditus. Nam tertio die Junii, qvi ipsi fuit emortualis, circa horam septimam pomeridianam inter preces, & suspiria astantium beatissimè animam exhalavit, postqvam in hoc mundo vixisset annos sexaginta, mensesqve qvatuor cum dimidio.

Sic ergò fuit KROMAYERUS noster! Fuit, fuit thesaurus noster! Fuit conjugis mœstissimæ delitium! Fuit Facultatis nostræ Theologicæ,

## ORATIO PARENTALIS.

ologicæ, imò totius Academiæ Columna! Fuit, fuit ille, qvi in vitâ suâ novem nobis Musas præstítit, pro qvibus novem has literas nobis reliquit: Seqvimini! Annon jam meritò, qvod *Nazianzenus*, in fine *Monodiae*, de *Basilio Magno* lamentabiliter effert, idem & nos ingeminemus: *Nimirum nobis tanto viro orbatis, qvid retiquum, nisi mori, aut miseram infuturum ducere vitam!* Amicus enim, & Collega pius, candidus, ac concordiæ amans, est animæ nostræ dimidium, est vitæ nostræ solatium, & medicamentum. Si autem qvisqvam, sanè B. KROMAYERUS homo erat infucatæ fidei, & concordiæ amantissimus. In sitâ suâ humanitate omnes dissensionum nebulas dispellebat, Collegas intimè amabat, & amicissimè cùm ipsis conversabatur. Non ignorabat pius ille vir, multos hâc tempestate externè simulare amicitiam, & candorem, qvâ larvâ etiam interdum sapientibus imponunt. Ille itaque omnem fucum, dolumqve ab ingenio proscriperat suo, & διπλαῖς ἀνδρεῖς, duplices viros, prout *Euripides* nominat, qvi aliud lingvâ proferunt, aliud corde premunt, eeu pestes detestabatur.

Qvò magis verò beatissimi hujus viri virtutes contemplamur, eò acerbior nobis est ipsius jactura, & eò majus apud nos sui desiderium reliquit. De *M. Aurelio Antonio* scribunt rerum præteritarum secretarii, qvod moriens tantum sui desiderium reliquerit, ut sacrilegus haberetur, qvi domi imaginem ipsius non haberet affixam. Mandare eqvidem non possumus, ut KROMAYERI effigiem qvilibet sibi comparet, & parietibus suis affigat: Hoc tamen omnino fas, & æqvum esse judicamus, ut meritissimi hujus Theologi memoriam retineamus, & virtutes, ac dona ipsius dignè æstimemus. Qvandoqvidem ergò laudatus noster KROMAYERUS consensu omnium fuit Theologus Magnus, Vir de totâ hâc Academia, & Ecclesiâ Christianâ meritissimus, imò talis vir, qvi cum omnibus per totam vitam amicissimè vixit, hinc effigiem ipsius, non qvidem in rostris statuamus, sed in mente retinebimus, conservabimus, & ad seram posteritatem, si qvæ futura est, transmittamus. Fas enim esse ipsimet videtis, ut qvi tot beneficiis Academiam affecit, in nobis vivat perpetuò.

Tu autem interea desideratissimè KROMAYERE, omnia nostra encomia longissimè supergressæ, salve, salve, inqvam! Fruere vitâ, qvam præparavit Deus iis, qvi diligunt eum! Fruere aspectu sacrosanctæ, & adorandæ Trinitatis! Rue in amplexus Salvatoris tui, gaude cùm antecepl-

## ORATIO PARENTALIS.

tecessoribus, & Doctoribus tuis B.LUTHERO, BRENTIO, HUNNIO,  
MENZERO, HöPFNERO, LANGIO, HÜLSEMANNO, CARPZO-  
VIO, aliisqve Ecclesiarum olim antistitibus meritissimis. Hilarem  
cum illis exporrige frontem, donec nos seqvamur! O beatum, ô felici-  
cem diem, qvo dabitur, ut gaudiis promissis tecum possimus frui, &  
Salvatorem nostrum à facie ad faciem contemplari! Desiderat anima  
nostra eò penetrare. Cùm Monicâ ergò *Augustini* matre cotidiè  
suspiramus: Ebolemus, ebolemus! Tu itaqve, beatissime KROMAY-  
ERE, Vale, Vale, inquam, Collega desideratissime! Tui erimus memo-  
res, dum calor in venis, dum spiritus hos reget artus. Parati sumus  
Te seqvi, qvandocunqve statione hâc excedere nos jusserit arbiter vitæ.  
Vale, ergò ad ultimum, Vir summe, tuoqve reddite cœlo perpetuò  
vige!

Vos autem *Patres Conscripti* nunqam placidissimum KROMAY-  
ERUM in hoc Auditorio amplius videbitis, in qvo toties disputavit, &  
eloquentissimâ lingvâ doctissimos fudit sermones! Vos quoq; studiosi  
dilectissimi, Doctorem vestrum solertissimum ex hâc Cathedrâ posthâc  
docentem non amplius audietis! Svavissima ejus'vox non amplius vos  
informabit! Tu etiam dulcissima Academia, alma mater, Consiliis  
fuis te non amplius juvabit, & confirmabit Vir ille judiciosissimus!  
Ergò in preces mecum abite, & cœlum pulsate, ut Deus nobis post-  
hac propitiùs adsit, Academiam conservet, & columnas, qvibus  
adhuc sustentatur, diu immobiles sustentet, & inco-  
lumes esse jubeat!

D · I · X · I!